DE

ROMANORUM INSTITUTIONE SCHOLASTICA.

DISSERTATIO LITERARIA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

JOHANNES RIDDOCK,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

SCHOLAE NESTONIENSIS IN COMITATU CESTRIENSI MAGISTER PRIMARIUS

REGIAE SOCIETATIS ARTIUM SCOTICAE SODALIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVII.

Scholas sive ludos literarios, qui latius dicebantur, jam mature apud Romanos fuisse, e multis veterum auctorum scriptis intelligimus [1]). Prius vero quam Imperatores rerum potirentur, publicis scholis omnino caruere Romani, nisi forte eas publicas scholas dixeris, quae publicis locis habentur aut cuilibet faciunt adeundi copiam. Neque enim ullus, quod sciam rerum Romanarum scriptor, publicas scholas reipublicae temporibus fuisse narrat, neque ulla lex, quantum veteres Romanorum leges cognoverimus, mercedem praeceptoribus solvendam constituit neque aedificia scholastica aedificari aut renovari jubet. Huc accedit, quod ne publice instituerentur juvenes a grammaticis et rhetoribus per vetus senatus consultum item censorium edictum cautum esse e Suetonio cognoscimus [2]). Si porro spectaveris veterem educandi morem, de quo paulo post dicam, atque universam vivendi rationem, qua in bello non minus quam in agricultura Romani utebantur, et rei publicae conditionem consiliaque a magistratibus in rebus gerendis inita, facile apparebit, nullam civitati fuisse causam, cur scholis publice instituendis operam daret. Nec vero tum quum devicto Macedonum rege atque Carthagine et Corintho

[1]) Dion. Hal. XI. 28. Plaut. Mercat. II. 2. 32. Livius III. 44 alii.
[2]) De clar. Rhet. I.

eodem fere tempore eversis, magna pecunia invecta esset in aerarium et mira contentio excitaretur inter cives ditissimos atque pauperrimos, ullam causam fuisse arbitror, qua ad singularem scholarum curam habendam Romani impellerentur. Nam Romae cum ab ordine sacro et a singulis gentibus patriciis omnia tenerentur, ditiores et nobiliores cives, qui tunc reipublicae praeerant, domesticis praeceptoribus utebantur, humiliores autem in privatorum hominum institutione acquiescebant. Quae quidem omnia satis declarant, publicas scholas non fuisse apud Romanos ea aetate, quam supra significavimus. Jam quomodo factum esse videatur, ut postea publicum munus praeceptoribus assignaretur, ostendam. Institutio scholastica olim arto limite circumscripta, ultra res maxime necessarias, ut artem legendi et scribendi, Arithmeticam, duodecim tabularum recitationem [1]) non progrediebatur [2]). Illo tempore grammaticam ne in usu quidem, nedum in honore ullo fuisse, auctor est Suetonius [3]). Quum vero, Italia inferiore expugnata, Graecorumque moribus atque cultura paulatim in rempublicam illatis, Graecorum ingenium magnam vim Romae habere coepisset, facile colligitur, quantum ex eo non solum educatio domestica a vetere more degenerarit, sed etiam institutio scholastica mutata sit ejusque gratia et cura magis magisque creverit. Ad perficiendam novam illam educandi et instituendi rationem accesserunt etiam Grammatici atque Rhetores, qui quidem, quamvis antea senatus consulto et censoriis decretis Roma expulsi essent, hoc tempore in honore ac laude esse coeperunt. Quae res non potuit non eo valere, ut plenam Graecorum vitae cognitionem, quae ex

---

1) Cic. Leg. II. 23.
2) Mart. X. 62.
3) De illust. Gram. I.

scriptoribus percepta latius paulatim manabat, Romani consequerentur. Quanta mercede affecti fuerint Grammatici ac Rhetores et quam insigni viguerint gratia ex multis Suetonii locis aperte intelligimus, qui quidem explanatius narrat grammaticam in provincias quoque penetrasse, Grammaticorum scholas claris viris frequentatas fuisse veluti a Cicerone etiam quum praetura fungeretur, Verrium Flaccum ab Augusto nepotibus ejus praeceptorem electum esse[1]. Rhetoricam ipsam utilem honestamqne habitam fuisse multosque ad eam operam accommodasse atque declamationes edidisse et magno studio hominibus injecto magnam etiam professorum copiam fuisse adeoque eos floruisse, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint, ex ejusdem Suetonii testimonio perspicere licet[2]. Sub imperatorum dominatione demum juventus publice erudienda curae esse coepit, ut ex Eusebio intelligitur, qui per viginti annos Quintilianum narrat artem rhetoricam tradidisse. T. Flavius Vespasianus deinde e fisco Latinis Graecisque Rhetoribus annua centena constituit[3], cum jam antea C. Julius Caesar omnes liberalium artium doctores, quo libentius urbem incolerent, civitate donasset[4]. Sed quoniam Vespasianus rem scholasticam ita tantum curavit, ut ad singulos magistros eosdemque urbanos beneficia e fisco conferri juberet, ipse publicae institutionis auctor haberi non potest, quamquam ita multis placuit. Immo haec laus Hadriano imperatori tribuenda est, quippe qui aedificio scholastico, quod Athenaeum dicebatur, condendi[5] atque mercede ex aerario doctoribus

---

[1]) Suet. de ill. Gram. 3. 7. 17. 20. 21.

[2]) Idem de clar. Rhet. I.

[3]) Idem Vesp. 18.

[4]) Idem in Caesare 42.

[5]) Aur. Vict. de Caesarib. 14.

constituenda totam rem scholasticam vere publicam reddiderit. His de Romanorum instituendi ratione in universum expositis, ad dissertationis propositum propius accedam et primum de aedificiis et locis, quibus Romani ad scholas habendas usi sint; deinde de praeceptorum nominibus atque muneribus paulo accuratius dicam; postremo de institutionis gradibus qua apud Grammatistam, Grammaticum, Rhetorem discipuli imbuerentur, uberius tractabo.

I. Quibus aedificiis et locis Romani usi sint ad scholas habendas.

Primis rei publicae temporibus, cum suo quisque arbitrio doctorem se profiteretur, cujus nullam rationem habuisse rempublicam, satis mihi constare videtur, literarum ludi [1]) eo loco procul dubio habiti sunt, quem sibi quisque aptum putaret. Ut igitur Romani nobili loco nati et locupletes vel ipsi liberos erudiebant vel praeceptoris domestici curae committebant, ita omnes ii quotquot humili loco nati erant ac pauperes, coacti erant, ut liberos alius cujusdam disciplinae traderent, in quam et nullos fere sumtus faciendos esse compertum haberent et quam aliis de causis commodam sibi fore sperarent. Quae cum ita essent, plerumque accidisse versimile est, ut multi eorum, qui praeceptores haberi vellent, publicos atque amplos

---

[1]) Forcellini s. v. Ludus: „Metonymice ludus est, in quo corporis aut ingenii vires exercentur, ut palaestra et schola: quae, ut ait Festus, ideo literarius ludus dicitur, ne tristi aliquo nomine fugiant pueri suo munere fungi: vel ut alii volunt, quia studium literarum liberalis ingenii ludus sit.“

Conf. Cic. 3. O. Fr. 4. ad finem.

locos sibi ad docendum eligerent. Ita Virginiae historia, qualem a Livio et Dionysio Halicarnassensi traditam accepimus, satis docet, literarum ludum, ab illa frequentari solitum in tabernis fuisse, quae foro Romano adjacebant [1]. Alterum genus aedificiorum, in quibus, qui docendi artem profitebantur, versari solerent, erant pergulae, ad quas adscendebatur [2]. Praeter tabernas et pergulas magistri utebantur etiam basilicis, quae erant aedes publicae spatiosis ambulationibus instructae [3], porticibusque amplissimis circumdatae. Nomen traxerunt ab aedibus regum, quae ceteris ampliores et nobiliores esse solent. Cujus generis multae in foris Romae diversis temporibus extructae fuere. Basilicae faciendae rationem pluribus docet Vitruvius [4], ex quo earum formam, quae Romae fuere, facile colligere licet. Erant autem hujusmodi aedificia ad populi commodum facta, ut haberet, quo convenire et negotia sub tecto agere posset. Has autem basilicas saepius in scholae usum adhibitas esse, multi veterum scriptorum loci satis probant [5]. Neque in dubium vocare licet, quin etiam in templis, theatris, balneis juventus nonnunquam erudita sit [6]. In castris quoque, si Suetonii locum [7] recte interpretamur, adeoque in publicis viis [8] pueris erudiendis studuerunt magistri, cujus rei causa vel discipulorum multitudo esse potuit vel nimia doctorum ambitio. Sed non

---

1) Plaut. Curc. 4. 1. 17. Liv. l. III. 4.

2) Suet. in Aug. c. 94. Idem de ill. Gram. 18. Plin. I. 21. c. 3. Juv. XI. 137.

3) Forcellin. sub voce basilica.

4) Vitruv. l. 5. c. 1.

5) Cod. Theod. l. III. de stud. liberal. Plin. Ep. II. 14.

6) Sen. controv. excerpt. III.

7) Suet. Calig. 45.

8) Chrysost. orat.

solum publicas aedes, quarum longe usitatissimas enumeravi, sed etiam privatas, quae vel propriae erant vel a ditibus conductae, in erudiendis pueris magistri adhibebant [1]). Sub imperatoribus cum, timore exterarum nationum sublato, rebus domesticis animus magis adverti coepisset, in re scholastica augenda Hadrianus imperator omne studium posuit, qui primus Athenaeo, cujus superior pars recitationibus et disputationibus, inferior institutioni destinata erat in Capitolio extructo, plures scholas publice aedificandas curavit. Athenaei formam imitatus esse videtur Antoninus Pius in condendis scholis imperatoriis, iisque per totam Italiam propagatis, itemque Constantinus I in ludo, quem Byzantii exstrui jussit. Aedes illas, quae scholis habendis serviebant priorum Caesarum temporibus et aptius et magnificentius institutas, atriis, porticibus atque ipsis scalis instructas fuisse, uno quidem, sed luculento testimonio probatur, ex quo, quamvis mutilum nobis relictum sit, multa perspicere et aperte intelligere licet, quae ad rem scholasticam Romanorum pertinerent, dico colloquia scholastica, ex Dosithei grammatica sumta [2]). Quomodo interiora ludorum instituta fuerint, licet disertis scriptorum testimoniis non edoceamur, tamen ex universa belli gerendi ratione, qua quidem juvenes ad bonam disciplinam servandam in stituebantur fructum quendam ad scholas redundasse veri est simillimum idque ipsum nonnullis colloquiorum locis comprobatur. Scamnis ordine quodam disposi-

---

[1]) Suet. de illust. Gram. VII.

[2]) Colloquia illa, Latine scripta et in Graecum sermonem versa, puerorum exercitationi, qui Graece perdiscere sibi proposuerant, fuerunt subsidio. Interpretatio autem Graeca singulis versibus adjecta, ad verbum aperte facta est. Inveniuntur haec colloquia in glossis veteribus primum editis ab Henrico Stephano, deinde a B. Vulcanio et C. Labbaeo.

tis, eum locum, quem quisque discipulorum praeoccupaverat, tenere jubebatur; minoribus natu etiam sellae praesto erant. In magna discipulorum frequentia, quo melior posset et commodior eorum cura haberi, omnes in classes distributi erant. Ut quisque proficere videbatur, ita superiori loco assignabatur [1]). Praeceptores inter docendum sellis insidere solebant, ut liquet ex loco apud Wowerum [2]), narrantem, se Romae in aedibus privatis vidisse incisam tabulae marmoreae effigiem viri, qui volumen manu tenebat, insidens sellae specie docentis. Grammaticorum vero ac rhetorum sedes altiores atque ornatiores fuisse traduntur et cathedrae erant, quae proprie dicebantur [3]). Vestitus Grammaticorum pallium Rhetorum toga ex more fuit [4]).

II. De praeceptorum nominibus atque muneribus.

Praeceptores celeberrimi, quorum institutione utebantur Romani, erant Grammatistae, Grammatici, Rhetores. Apud graecos, auctore Mario Victorino, grammatistae a grammaticis ita differebant, ut apud Romanos literatores et literati. Literatores sive Grammatistae primas literas docebant h. e. artem scribendi et legendi [5]). Literati sive grammatici poetarum, antiquitatum, oratorum interpretes eruditissimi erant, ut Donatus, Festus, Nonius, Asconius et alii, qui fabularum Graeciae, antiquitatum Romanarum, legum, omnium denique rerum cognitione et scientia praesti-

---

[1]) Quint. I. 2. 30.

[2]) Woweri tractatus de Polymathia IV.

[3]) Juv. VII. 203. Pers. 1. 15.

[4]) Suet. de ill. Gram. 9.

[5]) Quint. I. 4.

terunt. Iidem critici vocabantur, quod de omni genere scriptorum judicarent[1]). Eodem fere modo Suetonius eos distinguit his verbis: „Sunt qui literatum a literatore distinguant, ut Graeci Grammaticum a Grammatista et illum quidem absolute, hunc mediocriter eruditum existiment"[2]). Grammaticorum artis nomen et philologia et grammatica erat; videtur autem triplex illius usus constitui posse. Primum in ipsa Graecia philologus confabulandi et disputandi studiosus erat, quare Athenienses philologi dicebantur. Sed quoniam homines cultioris ingenii, ubi sermones conferunt, decurrere ad argumenta solent, quae sunt ex genere philosophico, propterea philosophus et philologus junctim dicebatur. Postea autem philologiae usus talis erat, ut ad liberalis doctrinae cognitionem referretur. Deinde vero cum schola Alexandrinorum summa doctrina excelleret et Eratosthenes philologi nomen sibi vindicasset[3]), notio hujus nominis eo abiit, ut multiplicem et variam doctrinam significaret[4]), ita tamen ut accurata literarum Graecarum cognitio inesset[5]). Praeter philologorum nomen illi homines doctissimi Alexandriae grammaticorum etiam acceperunt, quod quidem nomen pariter atque illud in usu erat easdemque muneris partes continebat. Sed tamen grammaticorum nomen apud Romanos usitatius fuit et Graecorum consuetudine invaluit[6]), qui literas *γράμματα* dicebant. Cicero autem grammatici munus sic describit: „Studium literarum quod profitentur ii, qui Grammatici vocantur"[7]).

---

[1]) Cic. Divin. 1. 51.
[2]) Suet. de ill. Gram. 4.
[3]) Suet. de ill. Gram. 10.
[4]) Idem ibidem.
[5]) Cic. de Orat. III. 33.
[6]) Suet. de ill. Gram. 4.
[7]) Cic. de Orat. 1. 42.

Rhetores, qui rhetoricam profitebantur, seu qui docebant vel scribebant praecepta dicendi, etiam scholastici appellabantur, quamdiu in scholis et in privata umbra causas agerent declamando [1]). Totus literarum orbis, quem aut Grammaticus aut rhetor et philosophus colendum sibi sumebant, nomen accepit artium liberalium s. ingenuarum [2]), vel humanitatis [3]) vel honestorum studiorum [4]), denique eruditionis [5]).

III. De institutionis gradibus.

1. Infimus institutionis gradus fuit, quum apud grammatistam pueri imbuerentur. De tempore quo puerorum institutio initium ceperit, nihil habeo, quod pro certo affirmem. Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa demum aetas et intelligere praecepta et laborem pati possit. In qua sententia et Hesiodum et Eratosthenem fuisse, teste Quintiliano, plurimi tradiderunt. Alii quoque Graecorum scriptores, ut Plato et Aristoteles, puerum, prius quam sextum aetatis annum ageret, praeceptoris disciplinae tradendum esse negarunt, quod et corporis cultui id obesse neque ullam utilitatem afferre dicerent [6]). At Quintilianus longe aliter sentiens eam aetatem, quae jam ad mores bonos informanda sit, etiam ad literas pertinere recte concludit [7]). Cum

---

[1]) Suet. de clar. orat. cap. ult. Plin. ep. II. 3.
[2]) Hor. Sat. I. 6. 76.
[3]) Cic. pro Arch. poet. 3. pro Muren. 29. de Orat. I. 16.
[4]) Tacit. dial. de Orat. 34.
[5]) Cic. de Fin. I. Suet. Octav. 89.
[6]) Quint. I. 1. 15. v. 16.
[7]) Quint. ibid.

autem accedat ad sententias, quas protuli, Pauli Aeginetae testimonium, quod legitur apud Tertullianum[1]), recte constitui potest, pueros septem annorum grammatistam adisse, et cum duodecimum annum agerent, grammatici institutione coepisse uti. Cum primum praeceptori se puer dedisset, vim suam et operam contulit ad legendi studium, cujus rei ratio ejus, quam nos plerumque sequimur, simillima fuisse videtur. Literis cognitis, syllabis et contexendis et sejungendis puer animum intendit, quo facto eo transiit praeceptor, ut ad syllabas in verba componendas discipulum institueret. Fortasse etiam eburneae literarum formae parvulis ad lusum oblatae sunt, ut discendi incitamentum haberent[2]). Postquam puer et syllabas et verba, in his difficillima ad pronuntiandum, non haesitante lingua recitare poterat, ad continuae orationis promptam ac volubilem pronunciationem exerceri solebat[3]). Paulo adultiores discipuli etiam versus recitando operam dabant atque ad hoc exercebantur, ut ex rerum et verborum dignitate vocem et corpus moderarentur, quod plurimum valuisse existimo in proximum tempus, quo ad rempublicam accedere juveni licebat. Neque huic operae deerant magistri, qui discipulos ad pedes versuum syllabis metiendos instituerent et ad poëtas, qui maxime probarentur, legendos diligenter excolerent. Non solum autem latino sermone sed etiam graeco imbuendos curarunt discipulos atque ab hoc adeo incipere pueros Quintilianus maluit[4]), quia ille vel nolentibus se offerret[5]). Plerisque etiam moris fuit per longum tempus

---

[1]) Salmasius ad Tertullian. de Pallio p. 437.
[2]) Quint. I. 1. 26.
[3]) Idem I. 1. ibid. in fine.
[4]) Idem I. 1. 12.
[5]) Idem ibid. 13.

nonnisi Graece loqui et discere[1]). Ad eam grammaticae partem, quae formarum doctrinam continet, animus maxime advertebatur, ita ut nomina flectere, pronomina et verba derivare, partes orationis distinguere pueri discerent. Praeterea nonnihil temporis conferebant ad ediscenda, quae a praeceptore notata et explicata essent, dum aliae res docendae aliis discipulis traduntur. Ars scribendi non minus assidue colebatur. In scribendo id potissimum spectabatur, ut puer literas recte pulcreque ducendo imitaretur. Praeceptor ductu suo exemplum imitationis dabat idque praeducere apud Romanos dicebatur. Initium praeceptores in scribendi institutione faciebant eo, quod ad exemplaria, quae praeducta vocabantur, discipuli manum dirigerent. Cum is jam ductus sequi coepisset, non inutile Quintiliano videbatur, eos tabellae quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos duceretur stilus, cum contineretur utrimque marginibus neque extra praescriptum posset egredi sed celerius et saepius sequendo certa vestigia formaret articulos[2]). Quamquam testimoniis comprobatum non habemus, cujus argumenti fuerint exemplaria, tamen pro certo habendum esse existimo (quod quidem Quintilianus I. 1. 35 in votis habet) versus, qui ad imitationem proponerentur, non otiosas sententias fuisse sed honesti aliquid, ut dicta clarorum virorum et illustres poëtarum sententias. Instrumenta, quibus ad scribendum utebantur, quaeque nobiliori puero servus ferebat, pauperior autem ipse portabat, haec erant: 1. Tabulae ceratae, in quas scribebant sive quas exarabant stilo infra acuto, quod etiam graphium et graphiolum dicebatur. Atque ille superiore in parte erat latior, qua ceram complanare eoque scripta delere solebant, quo

---

[1]) Idem ibid.

[2]) Quint. I. 1. 27.

factum est, ut stilum vertere idem sit, quod scripta corrigere[1]). Cum scriptor literis aliquid mandare vellet, tabulis ceratis utebatur, quo facilius mutaret; sin satis emendatum videretur, in chartam vel membranam transcribebatur, ut foras mitti posset[2]). Tabulae tum plerumque adhibitae fuisse videntur, cum celeri scriptura opus esset, quod calamus in atramentum mergendus scribentem nimis diu moraretur[3]). Quo facilius igitur et commodius in tabulis scribebatur, eo magis pro certo habendum esse colligo, eas pueris pro libro, qui scribendi exercitationi serviret fuisse, quod ex Quintiliani loco intelligitur[4]). 2. Pugillares sive Pugillaria parvulae dicebantur tabellae, quas veteres plerumque secum ferebant, ovata forma, factae e ligno aut ebore aut membrana et cera alba illitae. 3. Membrana et charta. Ex Persii loco, qui puerum ad grammatistam adeuntem ostendit, qualia fuerint instrumenta nonnulla ad scribendum necessaria, percipimus[5]). Membrana est pergamena, quae ab interiore parte tantum, in qua scribebatur, laevigata erat, in exteriore, quamquam pili sublati erant, tamen scribi nihil poterat. Nam in illo Persii loco „positis capillis" idem valet quod „depositis" et „bicolor" dicitur membrana, quod intus albo, extra autem fusco colore fuisse dicitur. Quocirca membranas ad pulcre scribendum pueri in ludis usurpasse videntur. Charta, quae papyracea erat et minoris pretii ad ea, quae primum verbis consignabant, adhibebatur. Et in membranis et in chartis scribebatur arundine sive calamo, quae propter nodos nodosa apud

---

1) Hor. Sat. I. 10. 72.
2) Idem Sat. II. 3. 2.
3) Quint. X. 3. 31.
4) Idem inst. orat. I. 1. 27.
5) Pers. III. 10 sqq.

Persium dicitur et in eodem, quo nostrae pennae, usu erat. Calamus in humorem quendam, quod atramentum vocabant, scribendi causa mergebatur, sed paulum haud dubie differt a nostro atramenti genere.

In excolendis arithmeticis jam veteres populi, praecipue autem Graeci, ut Plato in Philebo docet, et Romani, apud quos arithmetica in summo honore erant[1]), egregie elaborarunt. Nam ut plurimi Romanorum in re militari et in agro colendo versabantur, nobiliores autem in juris scientia, ita omnes homines medii loci argentariam fecerunt, in qua pecuniae parandae ratione ad summam habendi cupiditatem abripiebantur[2]). Duplex autem fuit computandi ratio, qua pueri apud grammatistam institui solebant, calculis et digitis. Una ratio in eo posita erat, ut calculi certis locis, quandoquidem hoc illove loco in tabula quadam collocati aut plus aut minus valerent, disponerentur. Haec tabula, ad usum ducendorum calculorum lineis distincta erat, ita ut tabulata fieret. Praeterea, quae in ipsis ludis solvenda proponebantur, domi etiam quaestiones, quae pecuniam fenori datam spectarent, expediendae erant, ut ad argentariam faciendam jam pueri instituerentur[3]). Altera computandi ratio, quae digitis, etiam Augusti temporibus[4]) exercebatur, jam apud Graecos, auctore Herodoto, usitata et antiquior fuit. Quae quidem ars in eo vertebatur, ut praeceptor summos discipuli digitos contrectaret, quo facilius atque apertius digitorum motus intelligerentur[5]). Motus autem et flexus numerum quendam significabant, ex

---

[1]) Cic. Tusc. qu. I. 2.
[2]) Hor. Ars poët. 325.
[3]) Idem Sat. I. 6. 71 cet.
[4]) Ovid. Ep. ex Pont. II. id. Fast. III.
[5]) Quint. I. 10. 35.

quo illud usu receptum videtur, ut ducere et subducere, quae verba propria sunt digitorum motus, ad computandum referrentur: nam digiti componebantur, explicabantur et distorquebantur [1]). Quaeri etiam potest, quem quantumque numerum quique digitorum motus indicarint; verum ea res, quum ex locis quibusdam huc pertinentibus non satis expediri posse videatur, nihil est, quod in hoc genere diutius moremur. Via et ratio docendi, quam grammatistae sequebantur in eo sita erat, ut adjuvantibus hypodidascalis discipulisque idoneis et institutionem curarent et disciplinam exercerent, quae ideo mutua recte appellatur. Plures autem fuisse praeceptores colloquia illa affirmant [2]). Haec grammatistae docendi ratio, quam per multa saecula intermissam, in Lancasteriana renovatam scimus, profecta esse videtur ex discipulorum frequentia eoque praeceptorum consilio, ut omnium et mores et ingenia aequabiliter excolerentur. Nam cum jam posterioribus reipublicae temporibus ingens esset Romam incolentium multitudo, singuli quique literarum ludi centum ducentosve et supra discipulos haud dubie complectebantur. Ex mutua docendi ratione omnes discipuli in certas classes distributi erant, quibus pro industria et moribus adscriberentur neque fortasse inutile videbatur ordines separatis sedibus collocare. Cuivis ordini praeerat discipulus major natu et omnino caeteris praestantior, qui discenda jam teneret eodemque officio fungebatur praeceptor inferior s. hypodidascalus [3]). Hoc igitur modo magna discipulorum multitudo in uno conclavi et eodem tempore ab uno praeceptore probe erudiri poterat. Cum soli praeceptori nonnunquam cuncti pueri, ut doce-

---

[1]) Sen. de rat.

[2]) „Salutavi praeceptores."

[3]) Coll. scholast.

rentur, curae cordique essent[1]), grammatista rem tradendam vel praelegebat h. e. eo usque repetebat, donec parvuli tenerent, vel dictando docebat, cum non libris, quibus traderetur aliqua disciplina, sed viva magistri voce, qua nihil potest esse efficacius ad excitandas animi vires mentemque acuendam, uti solerent.

Quod attinet ad ludorum disciplinam[2]), puer mundo vestitu indutus, lotis manibus et ore, comptis capillis quum domo exisset, viam quiete et pacate persequi jussus, depositis in atrio vestibus supervacaneis, scholam praeceptores salutando intravit certamque sedem occupavit. Severa autem magis quam leni disciplina discipulos, quum in ludis versabantur, coercitos esse inde colligitur, quod universus Romanorum animus ad rem militarem propensus, modestiae atque obedientiae plurimum tribuebat. Pigros et petulantes aut aliis in rebus peccantes severa poena afficiebant magistri idque haud raro factum esse, ex eo conjicitur, quod, auctore Quintiliano[3]), mores saepe corrupti in ludis inveniebantur[4]). Ferula quadam utebantur ad puniendum, quae quo levior erat, eo majorem efficiebat dolorem, unde illi, qui ex schola missi erant, manum ferulae subduxisse dicerentur[5]). Sed etiam scutica ex corio facta in usu erat, qua qui feriebatur nondum dignus acerbiore flagello habebatur[6]). Feriis fruebantur pueri cum messis, vindemia et Saturnalia agerentur[7]). Praeter eas res, quas docendas supra commemoravi, pueri ingenui etiam diagraphicen

---

[1]) Quint. I. 2. 15. 16.
[2]) Coll. scholast.
[3]) Quint. I. 2. 3. 4.
[4]) Hor. Epist. II. 1. 70. Quint. I. 3. 14 sqq.
[5]) Juv. I. 15.
[6]) Hor. Sat. I. 3. 117.
[7]) Plin. Epist. VIII. 7. Mart. V. Ep. ult.

h. e. picturam et musicam docebantur, cum libero homine utraque dignissima haberetur [1].

2. Medius institutionis gradus.

Cum doctrina grammatistae absoluta, puer legendi scribendique facultatem adeptus esset, grammaticum adire coepit, qui graecusne an latinus esset, nil referebat, quod utrique, testante Quintiliano [2], eadem via fuit, quamquam graecum esse potiorem placuit. Quibus finibus grammatici officium circumscriptum fuerit, non facile est ad indicandum. Etenim grammatica, quam latine literaturam vocant, ut ait Quintilianus, praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa est [3]. Imprimis autem graecos poëtas, quos adeo diligebant Romani, ut saepissime eos imitarentur, diligenter versarunt [4] grammatici discipuli, initium facientes ab Homeri carminibus [5]. Legebantur praeterea poëtae tragici, Sophocles et Euripides [6], comicus Menander, melicorum et elegicorum nonnulli, indeque progrediebantur juvenes ad legendos historicos Thucydidem, Polybium, alios. Huc accedebant non pauci ex latinis poëtis, ad quos non ideo studium conferebant, ut artem carminum condendorum atque orationis genus discerent, sed ut sententias poëtarum cognoscerent [7]. Quas doctrinas nos quidem separatim tractare solemus, gentium regionumque scientiam, mythologiam, physica apud Romanos non simili modo traditas, sed quidquid ex eo genere necessarium videretur, legendis scripto-

---

1) Plin. XXXV. 10.
2) Quint. I. 4. 1.
3) Idem II. 1. 4. Sen. Epist. 88.
4) Hor. Epist. II. 2. 41. II. 1. 126.
5) Quint. I. 8. 5.
6) Hor. Epist. II. 1. 161.
7) Quint. I. 8. 9. Hor. Epist. II. 1. 61.

ribus fuisse admixtum, ex Quintiliani verbis l. 1. c. 4 elucere videtur. Institutio ad artem grammaticam, metricam et stilum spectans, haec erat. Grammaticum omnes linguae partes comprehendere decebat, ita tamen, ut a literis cognoscendis recteque pronunciandis inciperet; recta autem pronunciatio et linguae leges et loquendi usum sequebatur. Quocirca ab re non alienum putabant, etiam literarum descriptionem in vocales et consonas exponere, cum haec rerum tenuium pervestigatio ad discipuli mentem acuendam et accuratiorem linguae cognitionem pertinere videretur [1]). Itaque rem amplius persequendo, quid cujusque literae proprium esset, quid ei commune et cognatum cum aliis, ostendebant grammatici, ut pueri mutationem vocabuli melius intelligerent. Sed etiam ea doctrina opus erat, quae in syllabis declinatione mutandis versatur. Magnam deinde operam collocabant in verborum origine perscrutanda. Tum grammatico videndum erat, ut ad euphoniam servandam, ex verbis idem valentibus numerosius et dulcius sonans eligere institueret et ut verba usitata a barbaris, propria a translatis diligenter distingueret. Neque vero omissum est, quid poëtae concedendum sit, quid minus; quid separate dictum vitiosum, cum conjunctim recte scribatur; quis sit in quoque verbo vocis sonus et quo loco ponendus, quod discrimen intercedat inter conjunctiones, interrogandi voces et adverbia. In pronunciandis verbis cum grammaticus et linguae leges et loquendi usum sequeretur, illae autem in analogia et etymologia contineantur, hae etiam artes minime erant negligendae. In reducendis autem ad veritatem verbis juvenes vario et multiplici modo fatigatos esse, Quintilianus confirmat [2]). Imprimis autem ad loquendi usum

---

[1]) Quint. Institut. Orat. I. 4. 6.
[2]) Idem I. 6. 32.

sive consuetudinem, quae in eruditorum consensu cernitur, diligenter attenderunt. Omnia ea, quae de grammaticis tradebantur et de vocum sonis explicabantur, exempla contemplando juvenes perspiciebant, ut plures poëtarum loci a Quintiliano laudati perspicue ostendunt. In scribendi scientia, quae jam grammatistae fines excedebat, grammaticus sibi reservabat, ut voces ejusdem fere notionis inveniret v. c. quomodo differant „cum“ et „quum“, quae mutatio fiat verborum praepositione adjecta, quomodo voces digerantur, quae sit ratio duplicatae literae s in v. „caussa“ et mutatae u in v. „optimus“. Judicium autem suum grammaticus interponat his omnibus, ut ait Quintilianus: nam hoc valere plurimum debet[1]). At vero ad metricam quoque artem, quae in legendis poëtis exercebatur, ita discipulus institutus est, ut versum in pedes dividere, voce, pro scriptoris sententia, modo contenta modo submissa legere disceret. Sed ut tota poëtae sententia accurate exprimeretur, hoc etiam videndum erat, ut vox in legendo nunc citatior nunc tardatior esset[2]), neque prosae similis et ad canticum inclinata, sed virilis et dulcis. In universum totam carminis compositionem, quodque praeclare aut dictum aut cogitatum inveniebatur, grammaticus interpretando persequi solebat. Cum his rebus, quod apud multos procul dubio factum est, dicendi primordia conjungenda esse Quintilianus arbitratur, quod optime fieri statuit, si versus in solutam orationem mutati Latine converterentur. Utile etiam videbatur[3]) vel ex graeco in latinum vel ex latino vertere in graecum, quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imi-

---

[1]) Quint. I. 7. 30.
[2]) Idem I. 8. 1.
[3]) Idem X. 5. 2.

tatione optimorum similia inveniendi facultas paratur; quae res magnam etiam utilitatem afferre videbatur propterea, quod, quae legentem fefellissent, convertentem fugere non possent. Grammaticus iste, qui res, quas adhuc enumeravi, doceret, alio nomine technicus appellabatur. Institutio ad historicam quoque poëtarum interpretationem non omittebatur. Veteres enim non primis labris poëmata gustarunt, sed omne studium operamque eo contulerunt, ut in iis habitarent[1]), totosque locos memoriae mandatos recitare possent. Hujus autem absolutae poëtarum cognitionis causas in eo sitas esse intelligimus, quod etiam tum fieri potuit, ut homines, nondum infinito rerum cognoscendarum ambitu, literarum fines comprehenderent. In enarratione historiarum diligenti quidem illa, non tamen ad supervacaneum laborem extenta grammaticus, qui appellabatur historicus, versatus est. In poëtis legendis cum etiam glossae, quae vocabula erant rariora et vulgari dicendi usu exemta[2]) explicandae essent, multa de populorum legibus institutisque a grammatico tradebantur. Ita Verrium Flaccum grammaticum de verborum significatione scripsisse apud Festum legimus, Lucium Circium de verbis priscis. Illud vero maxime suum esse duxerunt grammatici historici, ut de rebus, quae apud poëtas occurrerent, explanate et enucleate dicerent, quo referenda est fabularum explicatio, terrarum descriptio et historiarum cognitio. Saepissime autem ac libentissime grammatici versabantur in quaestionibus, quae ad notitiam historiae fabularis pertinent usque ad ineptias et nugas risu dignas, quum v. c. quaererent, quod Achilli nomen inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare solitae essent[3]),

---

[1]) Quint. I. 8. 5. Plin. Epist. VII. 9.
[2]) Quint. I. 8. 15.
[3]) Suet. Tib. 70.

porro utrum procerior Hecuba fuisset an Helena et quare tam male tulisset aetatem[1]). At vero negari non potest, praeter illas ineptias grammaticos etiam ejusmodi quaestiones solvendas sibi sumpsisse, quae et difficiliores et juventutis utilitati maxime accommodatae essent, cum ad historias explicandas pertinerent[2]). Studium quod in antiquarum fabularum explicatione collocabant, haud minimi aestimandum est, prae caeteris autem comicis totos se dederunt, quod Varronis quaestiones Plautinae affirmant. Ad poëtas scenicos explicandos, qui vim suam et studium accommodare vellent, illi multarum artium disciplinis instructi esse debebant: sciendum fuit illis, qualis fuerit poësis origo, quomodo progressa sit, quot sint ejus genera et a quibus propagata sint atque exculta. Quatenus juvenum mens ad criticam artem instituta sit et qua ratione, ea de re licet nullus scriptor diserte quidquam tradiderit, ars tamen illa aliqua ex parte in scholarum disciplinam recepta fuisse videtur. Ad criticum vero genus pertinebat obscura evolvere, vera et genuina a falsis atque adulterinis secernere. Duo omnino videnda erant critico, quorum unum hoc fuit, ut scriptoris vitam explanaret, scripta judicaret, qui versus censoria quadam virgula notandi essent, qui libri falso viderentur inscripti, qui scriptores in ordinem redigendi aut plane numero eximendi essent[3]), quid in universum de scriptoris aetate statuendum esset. Ad haec omnia dijudicanda opus erat acutissimi ingenii judicio, ut quis et sententias, fortassis alibi jam obvias, et totius orationis indolem respiceret. Hoc autem critici judicium, quo decerneretur, utrum scripta vere tribuenda essent cuidam auctori,

---

[1]) Sen. Epist. 88.
[2]) Suet. Tib. 56. de ill. Gram. 11.
[3]) Quint. I. 4. 3.

an minus, eo magis necessarium fuit, quod jam ab antiquissimis temporibus libri falso saepe inscriberentur. Alterum quod critico videndum erat emendandi ratione continebatur, ut quae falsa et dubia viderentur, nota quadam apposita, damnaret [1]), corrupta corrigeret, quae falso posita essent in justum ordinem redigeret et quae alia sunt ejusdem generis. Docendi ratio et scholarum disciplina, quibus grammatistae utebantur, non eaedem etiam erant grammatici, quandoquidem mutua institutio pueris jam adultioribus locum habere omnino non poterat. Atque aliam viam grammaticum secutum esse ex Suetonio intelligitur: nam praelegendo aut legendo poëtas tamdiu tractabat grammaticus [2]), donec plane a discipulis intelligerentur. Quod ad scholarum disciplinam attinet non dubito, quin accurate descriptis legibus, quas quidem juvenes, ut bona disciplina servaretur, sequi oporteret, grammaticus non usus fuerit, cum pro ea, ad quam discipuli pervenerant aetate, sola praeceptoris adhortatione et admonitione opus esset, idque vel inde aperte intelligitur, quod puer a grammatico dimissus paulo post summo, qui juventuti contingere potuit, honore gauderet. Decimum enim septimum annum agens, assumta toga virili, inter cives Romanos referebatur. Jam ad munus rhetorum, qui Romae ludos habebant, definiendum accedam.

3. Summus institutionis gradus.

Primum si quaerimus, quando ad rhetorem se contulerint juvenes, non id esse videndum Quintilianus profitetur [3]), cujus quisque sit aetatis, sed quantum in literis jam profecerit. Et sic optime fieri credit, cum poterit. Tenuit

---

[1]) Hor. A. P. 445 sqq. Sen. Epist. 88.
[2]) Suet. de ill. Gram. 2 et 11.
[3]) Quint. II. 1. 7.

autem consuetudo, quae quotidie magis invalescebat, ut praeceptoribus eloquentiae, latinis quidem semper, discipuli serius, quam ratio postulabat, traderentur [1]). Juvenem simul et grammatici et rhetoris scholis interesse, optime institutum fuisse, quamquam a Romanis omissum, Quintilianus judicat [2]), quum non verendum sit, ne binis praeceptoribus oneretur juvenis, neque enim crescere, sed dividi, qui sub uno praeceptore mixtus sit, laborem et fore quemque operis magistrum utiliorem. Ex his igitur efficitur, adultos fere pueros rhetores adisse et apud eos etiam juvenes factos perseverasse [3]). — Cum ad studia continuanda, quae in legendos scriptores conferebantur, tum ad declamationes et habendas et scribendas rhetores instituerunt. Declamandi genera autem, quae aut graece aut latine habebantur [4]), erant laudativum genus sive demonstrativum, deliberativum genus sive suasorium et controversia.

1. Quoniam tria omnino videnda sunt oratori, quid dicat, quo quidque loco et quomodo, etiam laudatorem oportuit hujus rei rationem habere. Illud autem genus amplum esse potuit saneque varium, ideoque unum ex eo delectum est, quod ad laudandos viros claros susceptum est et ad improbos vituperandos, sed a meliore parte laudationis est appellatum. Omnia autem sunt profecto laudanda, quae conjuncta cum virtute sunt: quae cum vitiis, vituperanda. Quam ob rem finis alterius est honestas, alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis narrandis exponendisque factis sine ullis argumentationibus ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem

---

1) Quint. II. 1. 1.
2) Idem II. 1. 13.
3) Idem II. 2.
4) Cic. de off. I. 1.

faciendam aut confirmandam accommodatum. Et quoniam in his causis omnis oratio fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur, utendum erat juvenibus in oratione singulorum verborum ornamentis, quae habent plurimum suavitatis [1]). Cum autem tribus in generibus bona malave versentur [2]), externis, corpore et animo, prima sunt externa, quae ducuntur a genere: quo breviter modiceque laudato, aut si erat infame, praetermisso, si humile, vel praeterito vel ad augendam ejus quem laudes gloriam tracto, deinceps, si res pateretur, de fortunis erat et facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis, in quibus quidem quae virtutem maxime significat facillime forma laudabatur. Deinde erat ad facta veniendum et ad virtutes ejus, cui laus tribuebatur. Cum autem vis virtutis duplex sit, cumque aut scientia cernatur virtus, aut actione explicandum sit laudatori, in quocunque virtutis genere homo laudandus excelluerit [2]): gratissima laus eorum factorum habebatur, quae suscepta videbantur a viris fortibus sine emolumento ac praemio: quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habebant uberrimam copiam ad laudandum: quod et dici ornatissime poterant, et audiri facillime [3]). Denique moratam, ex Ciceronis sententia, oportebat esse narrationem, ut orator mentem et consilium explicaret, et ut rei, quae incredibilis videretur, causam adjungeret. Haec autem narratio quasi summus institutionis gradus erat in laudatione, ideoque aliquantum differt ab illa, qua institutionem incipiendam esse Quintilianus admonet. Etenim in iis rebus, quae statim ab initio tractandae erant [4]), imprimis habenda

---

[1]) Quint. Inst. Orat. VIII. 3. 11 sqq. II. 15. 20. IX. 4. 130.
[2]) Idem III. 7. 12.
[3]) Cic. de orat. II. 85.
[4]) Quint. Inst. Orat. II. 4. 3.

erant argumenta, quae non ejusmodi erant, ut vel arida vel prorsus intricata atque arcessitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poëtarum ducuntur, lasciva putanda sint; melior autem jam a Quintiliano habebatur res laeta generosique conatus. Huic exercitationi, quae ad narrationes contexendas pertinebat, non inutiliter subjunguntur alia, posita in destruendis confirmandisve rebus ex historia petitis, quod ἀνασκευή et κατασκευή vocabatur [1]; id porro non tantum in fabulosis et carmine traditis fieri solitum erat, verum etiam in ipsis annalium monumentis. Ita in enarrandis historiis, quo quaeque res modo fieri potuisset, quove loco aut tempore gesta esset, multum versati sunt juvenes. Denique accedebat ad institutionem rhetoris doctrina de elocutione, quae continebat praecepta de actione et pronunciatione [2]. Ars actionis est in voce posita, quomodo ea uti oporteat ad singulos animi motus exprimendos, velut quando voce magna vel tenui vel media utendum sit, quando adhibendi sint toni vocis acuti vel graves vel medii, qualis sit numerus observandus.

2. In genere deliberativo Aristoteli placet finem esse utilitatem [3], Ciceroni et honestatem et utilitatem [4]. Positum autem est in disceptatione et consultatione et habet in se sententiae dictionem [5]. In sententia dicenda autem suadere aut dissuadere gravissimae recte videbatur esse personae. Nam et sapientis est consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Quod ex ipsa institutionis natura conficitur, juvenes, qui ad deliberandi genus

[1]) Suet. de clar. Rhet. I.
[2]) Arist. Rhet. III. 1.
[3]) Idem ibid. I. 5 sqq.
[4]) De invent. II. 51.
[5]) Ibid. I. 5.

instituebantur, imprimis ostentationis suspicionem in declamando vitare debebant, quandoquidem ad dicendum in concione instruebantur, quae capiebat omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderabat. Ergo in suadendo nihil erat optabilius quam dignitas [1]). Cum declamandi studiosus neque abrupte nec unde liberet incipere posset, si non justo prooemio, aliqua tamen prooemii specie ad causam sibi aditum et ingressum faciebat [2]). Principia igitur orationum brevia esse debebant. Non enim supplex, ut ad judicem, veniebat orator, sed hortator atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debuit hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Ad commovendos denique animos maxime pertinuisse videtur peroratio. Solebant autem in scholis fingi argumenta ad deliberationem similiora controversiis, quamvis multi, affirmante Quintiliano, in eo, quod de suasoriis sentirent, errarent, quoniam dicendi genus in his diversum atque contrarium judiciali esse existimarent [3]). Sed initium fecerunt rhetores hujus exercitationis eo, quod res proponebant, quae faciliores essent ad tractandum, ita ut quid praestantius, quidve deterius esset, ex pluribus comparatio fieret [4]).

3. In tertio denique declamandi genere, quod summus rhetoricae institutionis gradus putabatur, controversia fuit. Quae quum aliquid judicii requireret et tempore nonnullo ad deliberandum interjecto, haberi soleret, materiam ejus aut a praeceptore propositam aut a discipulis electam esse constat. Hoc quidem dicendi genus adeo novum est, ut a

---

[1]) Quint. Inst. Orat. III. 8.
[2]) Idem ibidem.
[3]) Idem ibidem.
[4]) Idem Inst. Orat. II. 4. 20. Cic. Top. 18. 3.

Seneca rhetore[1]), quemadmodum ex ipsis ejus verbis colligere licet, inventum sit nomenque acceperit. Rhetori in controversiis habendis illud maxime fuit propositum, ut veras causas, fictis rebus atque personis, imitando expressas deligeret. Erat autem in quibusdam scholasticis controversiis, in quibus ponebatur, aliquem non respondere ad ea, quae interrogaretur, libertas omnia enumerandi, quae responderi possent[2]), qui quidem mos verae eloquentiae studio maximum damnum attulisse videtur. Et sane illius temporis commiseratione moveri nos oportet, si perpendere velimus, quousque rhetores eorumque discipuli, quamvis initio nonnunquam pro rostris dicere auderent, emolliti sint in scholasticis exercitationibus et delicate nutriti, quia, ut Senecae verba mea faciam[3]), clamorem, silentium, risum, coelum denique pati nescirent. Ut igitur priores, qui publice dicebant, oratores, cum nullis subsidiis instructi essent, ingenio tantum arteque sua confidebant, ita his posterioribus arte opus erat, ut commentario in dicendo uterentur; neque nuda rei notatione contenti erant, sed etiam totae causae perscribebantur[4]). Satis multis docemur exemplis, eos, qui rhetorica institutione uterentur, etiam in conscribendis orationibus exercitatos fuisse, quod ex ipsius rei natura et accurata praeceptorum ratione jam satis efficitur. Haec autem exercitatio ejusmodi videtur fuisse, ut totas ipse magister materias dictaret, quas et imitaretur puer et interim tanquam suas amaret. At si tam negligens ei stilus fuisset, ut emendationem non reciperet, eandem materiam a magistro retractatam scribere de integro jubebatur[5]).

---

[1]) Sen. controv. I. prooem.

[2]) Quint. IV. 2. 92.

[3]) Sen. controv. IV. prooem.

[4]) Idem ibid.

[5]) Quint. II. 4. 13.

De docendi ratione pauca tantum commemorabimus. Ipse praeceptor aliquid, immo multa quotidie dixit, quae secum juvenes commentarentur et licet satis exemplorum ad imitandum ex lectis scriptoribus suppeditaret, tamen haec docendi ratio magis excitare animos pleniusque alere putabatur[1]. Non solum praeceptor ipse declamavit, ut exemplo esset suis, sed etiam corrigebatur, si quid peccasset discipulus, ut reliqui vitia, quae notata essent, declinarent[2]. Rhetorum nonnulli argumenta, quae discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione describere, latius dicendo ea prosequebantur, nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alii quum primas modo lineas duxissent, post declamationem, quod quisque omisisset, ostendebant, quosdam vero locos non minore cura quam cum ad dicendum ipsi pergerent, excolebant. Alia deinde via, qua discipulorum et in literis progressus judiciumque penitus perspicerentur et accuratior rerum cognitio efficeretur, in eo cernebatur, ut praeceptor multa interrogaret, interrogatisque responderi juberet, ex qua re securitas audientibus aderat, et quodque verbum accurate percipientes simul inveniebant ipsi et inventa ab aliis suo judicio expendebant[3]. Sed ne imprudentem et docendi ignarum se proderet praeceptor, Quintilianus etiam atque etiam hortatus est, ut ad animi facultates juvenum descendere intelligeret neque velocissimum quemque, si forte iter cum parvulo faceret, procedere ultra, quam comes posset, pateretur[4]. Multum denique ad bene instituendos juvenes conducere videbatur, corruptas aliquando et vitiosas orationes, quas tamen plerique judicii

---

[1]) Quint. II. 2. 8.
[2]) Idem II. 5. 16.
[3]) Idem II. 13. et II. 2. 6.
[4]) Idem II. 3. 7.

perversitate mirabantur, palam legi discipulis ostendique in his, quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata essent[1]. Denique quod ad scholarum disciplinam pertinet, non solum in infimis ludis erga praeceptorem reverentia atque modestia, ex qua quidem omnis bona institutio pendet, observanda erat, sed etiam rhetor, ut eadem praestarent juvenes, sibi expetendum esse putavit. Cujus rei causa et ad turbas, qualescunque sint, vitandas Quintilianus multa ingeniose praecepit, ut ne pueri adolescentibus sederent permixti, cum non solum cavendum esset crimen turpitudinis, sed etiam suspicio[2]. Minime vero permittendam esse judicavit pueris, ut fiebat apud plerosque, assurgendi exsultandique in laudando licentiam, quandoquidem illa et indecora esset et ab severe institutis scholis aliena et studiorum perniciosissima hostis. Itaque omni modo efficiendum esse putabat, ut ex judicio praeceptoris discipulus penderet atque id se recte dixisse, quod illi probatum esset, crederet[3]. Alia multa, quae discipulo praestanda sint, in libri secundi capite nono exponit Quintilianus.

---

[1]) Quint. II. 5. 10.
[2]) Idem II. 2. 14.
[3]) Idem II. 2. 9. 10.